

16
1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
16
1.



1662.

1. Grege, Ernestus: De mandato.
2. Felringer, Johan Pentus: De origine, progressu et fatali
rerum publicarum periodo.
3. Franck, Joh. Gualfang: De antropeked licita.
4. Gundling, Wolffgang: Titi Flavii Domitiani, principis
... defensis.
5. Krager, Magnus: De appellatione
6. Ludwells, Wilhelmus: De officio judicis in poenis
remittendis vel mitigandis
7. Ludwells, Wilhelmus: De mutuo.
8. Reiser, Johan Philippus: De majoritate et indulgentia
9. Stoll, Johannes Philippus: De jure retractus gentilitii.
2 Saampfl.

1663.

1. Herwarth, Philippus Christophorus: De pluralitate voto
rum.

1663.

2. Metzger, Johann Christian: De alienatione rerum libera
 3. ab Schmid, Johann Georgius: De rebus censura nullius
- 7 Exempl.

1664.

1. Beringer, Johann Caspar: De arresto rerum.
2. Grege, Ernestus: De jure liberarum in imperio Romano-Germanico civitatum.
3. Pretschner, Nicolaus: De familiis.
4. vom Raume, Ericus: De proxenctis et proxenctis

1665.

1. Grege, Ernestus: De domicilio
2. ~~Gloet~~ Glorin, Antonius Mauricius: De materia appellationum ab interlocutoris imprimis iis, quae vim definitivam habeat, breviter delineata.
3. Leipoldus, Paulus: De pacto univocis prolium

165

4. Braum, Philippus Jacobus : De juramento iuramentum
super contractibus non retractandis praestito.

5. Schmitt, Johannes Philippus : De errore calculi.



176
1. Johann, Herr Dr. phil.
2. Johann, Herr Dr. phil.
3. Johann, Herr Dr. phil.
4. Johann, Herr Dr. phil.
5. Johann, Herr Dr. phil.

177
1. Johann, Herr Dr. phil.
2. Johann, Herr Dr. phil.
3. Johann, Herr Dr. phil.
4. Johann, Herr Dr. phil.
5. Johann, Herr Dr. phil.

178
1. Johann, Herr Dr. phil.
2. Johann, Herr Dr. phil.
3. Johann, Herr Dr. phil.
4. Johann, Herr Dr. phil.
5. Johann, Herr Dr. phil.

179
1. Johann, Herr Dr. phil.
2. Johann, Herr Dr. phil.
3. Johann, Herr Dr. phil.
4. Johann, Herr Dr. phil.
5. Johann, Herr Dr. phil.

180
1. Johann, Herr Dr. phil.
2. Johann, Herr Dr. phil.
3. Johann, Herr Dr. phil.
4. Johann, Herr Dr. phil.
5. Johann, Herr Dr. phil.





426



13

1663

34

42

IN NOMINE SACRO-SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS
DISPUTATIONEM INAUGURALEM


DE
**REBUS CENSURA
NULLIUS**

AUCTORITATE ET DECRETO
MAGNIFICI ET NOBILISSIMI ICTORUM ORDINIS
IN INCLUTA UNIVERSITATE ALTDORFINA
PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBUS

1663
D.

RITE CONSEQUENDIS
SOLENNI AC PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI SUBIICIT
JOHANNES GEORGIUS Schmid / NORIMB.
IN AUDITORIO WELSERIANO,

Horis consuetis,
DIE XIV. MAII
ANNI MDCLXIII.



ALTDORFII



INCLUTÆ REIPUBLICÆ NORIMBERGENSIS
VIRIS
MAGNIFICIS PRÆSTRENUIS NOBILISSIMIS
DN. DN. DN.
TRIUMVIRIS EMINENTISSIMIS
CONSULIBUS GRAVISSIMIS
SENATORIBUS PRUDENTISSIMIS
REGIMINIS A DEO BENEDICENTE BENEDICTI PERENNITATEM

UT ET
SACRARUM ÆDIUM D. SEBALDI ET D. LAURENTI
DNN. ECCLESIASTIS PRIMARIIS PL. REVERENDIS
RELIGIONIS A SPIRITU SANCTO EMOLUMENTUM!

Salutem humilimam!

SI qua gens, PATRES PATRIÆ RELIGIOSISSIMI! Religionis titulo ma-
ximè pollet, si qua civitas plurimum eâ conservatur, Vestram haud
secundum locum obtinere, nemo nisi hospes (forſan nec hic,) erit nescius.
Neq; enim Vigilantiam Vestram circa ea quæ Divino cultui adhibentur
non enarrare imbecillis ingenii, potius admiratione obstupescere, sapientis
est. Seminaria, sive trivialia sive altiora, quis Vestrâ Curâ vigere non
intelligit? è quibus, veluti ex Equo Trojano innumerabiles & Chori &
Fori cultores exière, neq; hodiè desunt. Hoc gratâ mente volvens, DO-
MINI MEI BENIGNISSIMI! meamq; tenuitatem examinans, unde pro-
gressus studiorum meorum feliciores facti, perpendens, non amplius hesita-
vi, quin hanc de REBUS SACRIS Sacram VOBIS facerem Disputationem.
Rem equidem non meam, sed Nullius offero, Sanctam tamen DEO, Reli-
giosam VOBIS, Gratam Populo; quam cum pro ingenii modulo exhibeo, eò
magis Clementiæ atq; Favori VESTRO fore acceptam, quò Illarum cura
VOBIS familiarior & frequentior, credo, atq; subjectione religiosâ con-
tendo.

V.V. M.M. P.P. & R.R.
devotissimus

JOHANN. GEORG. Schmidt.



POSITIO PRÆLIMINARIS.

N atrio hujus disquisitionis restri-
ctam adspicientes inscriptionem, de illius ra-
tione certiores reddimus; quod, sicuti ipsa RES,
apud Philosophos inter transcendentia refe-
runtur, quippe in omnibus prædicamentis effe-
ri, & de nullo non subjecto prædicari possunt, Scaliger III. Poë-
tic. 4. & VII. Poëtic. 2: ita in juris nostri Commentariis la-
tissimâ significatione sese effundunt, Magnif. D. Tabor, Can-
cell. Gieß. in Jurispr. method. part. elem. II. th. I. ut earum
appellatione & ea, quæ extrâ computationem patrimonii nostræ
sunt, contineantur, l. rei appellatio, §. pr. ff. de V. S. RES
etiam NULLIUS in jure nostro Variationi subjunctæ sunt, neq;
unâ eademq; facie in scenam prodeunt; unde, sicut ex jure consti-
tuto regula deducitur, l. regula est, l. ff. de divers. reg. juris
antiqui, cujus legis sensum apertè & luculenter satis exprimunt
Dn. Ungepaar Comment. super Decretal. de R. J. n. I. Hi-
eron. Cagnolus in Comment. ad tit. ff. de R. J. d. l. I. n. 18.
& 19. Joh. Ferrarius, Philippus Decius, eod. David Ma-
girus in prælect. ad d. t. l. I. n. 2. Joh. Eichelius in Comment.
ad d. t. cap. I. reg. I. n. 6. & seqq: ita ex diversimodâ hâc acce-
ptione distichon illud quasi regulare est conflatum:

Censurâ, factô, naturâ, tempore, casu,
res in nullius dicitur esse bonis.

Ne igitur acephalam rem exhibeamus, in itio ambiguitas est e-
volvenda.

A

THE.

THESIS PRIMA.

Primò dicuntur *res nullius* NATURA, ut: *fera animalia*, pisces, volucres; ubi regula jure quidem *justiniane* obtinet: quod nullius in bonis est, naturalivatione occupanti conceditur, §. *fera igitur bestia*, 12. J. & l. *quarundam*, 1. §. *omnia*, 1. l. *quod enim*, 3. pr. ff. de A. R. D. quæ tamen moribus nostris non attenditur, quandoquid. constat, non licere hodiè omnibus venari, sed Magnatibus, unde jus venandi Regalibus annumeratur à Dn. Justo Sinoldo, cognom. Schüz / Disp. ad Inst. V. th. 8. lit. a. nos autem sequimur Nobiliss. Dn. D. Ludw. Antecessorem facult. juridic. longè merentissimum, in *synops. Juris feud. cap. XIII. pag. 348.* & ab Eo citatos AA; proprium quoddam jus per se subsistens esse statuentes, *Exerc. Inst. V. th. 5. lit. g.* non realem servitutem, quam etiam defendit D. Hunnius *Disp. de jure venandi, th. VI.* & Andr. Gail. 2. O. 66. n. 1. non personalem, ut contendit Bald. in l. *penult. num. 12. col. 3. versu: item si debeas mihi servitutem*, C. de condit. insert. non jurisdictionalem, uti contendit Georgius Mohr. *tract. de jure venandi, parte II. cap. III. n. 7.* nec deniq; pactum personale, quod propugnat Bartol. in l. *ut pomum*, 8. ff. de servit. Præterea cum Reip. gubernatio ita concedita sit superioritatem exercentibus, ut gubernent eam cum præcipiendo tum prohibendo, prout salus ipsius & necessitas hoc exigit; non duntaxat rectè concludere: *justè à Principibus hodiè subditis, etiam in propriis fundis, venationem esse ademptam*; sed & defendere sustinemus: *Contrà Edictum Principis sub pœnâ capitis factum, venantem ultimo supplicio afficiendū, cum D. Schüz. d. loc. th. 9.* De piscatione prohibita est textus *In der P. H. D. art. 169. Reform. Noric. tit. XXIV. l. 1. & 2.* Reditus verò piscationum Regalibus minoribus accensentur, c. *regalia, qua sint regalia*, 11. feud. 56. Consultiss. Dn. D. Ludw. d. loco, pag. *preced.* In aucupio verò attendendum, quas aves quisq; jure majoris vel minoris aucupii, *Groß oder Klein Vogels*

Vogelwerck / Wehner. in pract. observ. ad verba: Vogelweid /
Vogelheerd / persequi possit. De mansuetis autem animali-
bus à lupo vel aliâ bestiâ raptis, si à tertio recuperentur, ob-
tinet adhuc jus antiquum, ut furti teneatur recuperator, si
domino restituere recuset, l. Pomponius, 44. ff. de A. R. D.
Præcedentibus commodè hîc affigimus quæstionem: An
Constitutiones Principum hodiernæ, (qualis est: de jure venan-
di privatis denegato,) sint condictionibus ex lege, an verò in fa-
ctum actionibus annumeranda? quæ quidem quæstio natalem
suum debet isti: an Constitutiones hæ jurî Prætorio, an civili
comparanda sint? at enim Principes Germanos non simpli-
ces esse Magistratus, sed Quemcunq; posse in ditione suâ,
quantum Imperator in Imperio; adeoq; majores Prætori-
bus esse, etiam Constitutiones earum vim legum inducere,
docet Consultiss. Dn. D. LudW. Præceptor devotissimo ani-
mo observandus meus in MS. ad rubric. C. de condict. ex lege, &
in Exerc. XVI. th. 1. lit. h.

II. Serie rerum, quæ naturâ nullius sunt, comprehen-
dimus quoq; 1. aërem, qui usu quidem communis, proprie-
tate verò nullius est, §. & quidem. 1. J. de R. D. Dn. Frantz. k.
ad d. §. 1. n. 1. nec solem proprium natura nec aëra fecit, Ovid. 6.
metamorph. Animalia siquidem omnia quæ cor habent,
(quod insiti caloris fons est,) egent illius refrigeratione, id-
circo pulmones dati ut folles; neq; etiam absq; respiratione
diutius loqui possumus, Dn. Harprecht ad d. §. 1. n. 2. Quam-
vis autem nullius proprius sit aër, interdictum tamen: ne
quid in loco publico fiat, datur adversus eum, qui ex soli o-
dore vel foetore aliquo locum reddit pestilentem, adeoq;
aërem corrumpit & inficit, l. Prætor ait, 2. §. Idem ait, 29. ff.
ne quid in loco publ. l. si quando, 17. §. secundum cuius, 2. ff. si
serv. vindic. l. Prætor ait, 1. §. curavit, 2. ff. de cloacis. II. aqua
profluens eadem cum aëre naturâ gaudet; quæ est aqua flu-
minis, & à flumine tanquam pars à toto differt, flumen enim

integrum fluminis usum præbet, veluti piscandi, navigandi, lavandi, potandi: *Aqua profluens* autem est pars ejus, quæ non integrum fluminis usum præbet, sed potandi & abluendi tantum, *Hotoman. ad §. & quidem naturali*, 1. *J. de R. D.* & hoc est quod *Dn. Frantz. k. ad d. §. n. 2. & 3.* docet, dum flumen dupliciter posse considerari affirmat; quamvis non inficias eamus, aquam profluentem in Africâ & Aegypto venalem factam, *l. Mela*, 14. *§. quidam*, 3. *ff. de alim. leg. III.* Mare quoad proprietatem naturâ nullius est: nostristamen moribus quodammodo in dominio ac jure Principum & Magistratum haberi cœpit, *Dn. Harprecht ad d. §. & quidem*, 1. n. 10. *ibiq. AA. alleg. IV.* Littora maris, quatenus sc. nondum occupata, nec in ditione alicujus populi sunt, *l. littora*, 3. *pr. ff. ne quid in loco publ. l. quamvis*, 50. *ff. de A. R. D.* ut accessorium naturam sui principalis, i. e. maris sequuntur, *arg. l. nam qua*, 2. *ff. de peculio leg. & l. cum principalis*, 178. *ff. de R. J. c. accessorium*, 42. *eod. in 6.* Hic opportunè annectendi lapilli & gemmæ, (quæ inter se differunt, *l. cum aurum*, 19. *§. gemma* 17. *ff. de auro leg.*) in littore maris inventori cedentes, *§. item lapilli*, 18. *J. l. 3. ff. de R. D. Sutholt. Dissert. ad Instit. IV. th. 22.*

III. *Secundò audiunt res nullius TEMPORIS DIVERTNITATE, ut: thesaurus*, *§. thesauros*, 40. *J. d. t. l. nunquam*, 31. *§. thesaurus*, 1. *l. sis qui*, 63. *ff. de A. R. D. l. unic. C. de thesaur. lib. X.* qui à *Hug. Grotio de J. B. ac P. lib. II. cap. VIII. n. 7.* inter *ἀδερπία*, res hero carentes, collocatur, quippe naturaliter pecuniæ istæ, quarum dominus ignoratur, fiunt inventoris, i. e. ejus, qui loco moverit apprehenderitq;. *Constitutiones* verò *Justin. d. l. unic. & Imp. Leonis Constit. LI.* (Cujus *Constitutiones* quatenus autoritate suffulciantur, tradit *Dom. Arum. Exerc. ad Instit. II. th. 15.*) evincunt, ut qui in loco proprio, sive fortuitò, sive datâ operâ, modo absq; magicis artibus, thesaurum invenerit, totum sibi acquirat; in loco
verò

verò alieno fortuitò inventus thesaurus pro parte dimidiã inventori, pro alterã soli domino cedat; perscrutari autem in alienis terrulis suo nomine si quis opes absconditas velit, locorum domino tradere compellatur; quod omne & observatur in *Reform. Noric. tit. XXV. l. 1.* & extenditur ad fundum feudalem, sano sensu, *Nobiliss. Dn. D. LudW. d. synopsis cap. XV. pag. 380.* agrum emphyteuticum, arg. *l. agri, 1. §. qui in perpetuum, 1. ff. si ager. vectig. oppignorat. arg. l. pignus, 9. C. de pign. act. & ad fundum dotalem, l. fructus, 7. §. si fundum, 12. ff. solut. matrim. superficiarium, arg. l. ult. ff. de superfic.* Loca sacra & religiosa eodem modo, si privata sunt, partim domino partim inventori thesaurum porrigunt, *d. §. thesauros*; si publica, fiscalia, Cæsaris, Civitatis, sive religiosa, sive profana, pro dimidiã parte inventoris itidem thesaurus erit, *d. §. §. l. non intelligitur, 3. §. si in locis, 10. ff. de jure fisci*; exceptã ubiq; arte magicã, cum injustè quæsita non fiant acquiruntis, *c. ult. XIV. q. 5.* Sed hæc jus commune sapiunt, rectè enim monet *Grotius cit. loco, Legibus & moribus aliud esse constitutum*: cum *Plato* Magistratibus indicium fieri voluerit, & *Oraculum* consuli; & *Apollonius* thesaurum quasi *DEI* beneficium ei adjudicaverit, qui ipsi optimus videbatur. *Germania* verò, *Gallia*, *Anglia*, *Hispania* & *Dania* populi eum, ut & alia *ad idem*, Principi addixerint, quamvis de *Jure Saxon.* varient *Authores*, cum alii de thesauro invento per magicas artes, alii de metallis *textum Landrechts lib. 1. art. 35. & Constit. Elect. p. 11. lib. 11. art. 53.* accipiant. vid. *diff. juris Civ. §. Sax. lib. 11. p. VI. casu 13. Hieron. Sester. select. Disp. Inst. IX. assert. 7. Schneidew. ad d. §. thesauros, in fine.*

IV. Tertiò sunt *res nullius FACTO*, ut: *res pro derelicto habitæ*, *§. pen. J. de R. D.* quando quis res mobiles abjecit, aut de immobilibus exiit, eo animo, ut eas in rerum suarum numero amplius esse nolit, & idè statim occupantis fiunt, quia earum abjectio vim tacitæ cujusdam traditionis habet, *l. si res,*



1. l. si id, §. id quod, 1. ff. pro derelicto, si modò occupans sciat rem pro derelicto habitam, l. pro derelicto, 2. pr. ff. d. t. si talem esse putat, & est, usucapere potest, l. nemo, 6. ff. d. t. pro derelicto, arg. §. possidere, 5. versu: quin etiam animo, J. de interd. Sed cum finis cujusq; facti introspecti debeat, arg. l. falsus, 43. §. qui alienum, 4. ff. de furtis, existimandum, res quæ in tempestate maris levandæ navis causâ ejiciuntur, non eo animo, ut pro derelictis habeantur, sed ut melius periculum maris levatâ navi effugiatur, ejectas esse, l. qui levanda, 8. ff. de L. Rh. de jactu, cum nemo in necessitatibus liberalis existat, nec temerè rem suam perdere censeatur, arg. l. quoties, ff. de solut. multò minus jactare, l. cum de in debito, 25, pr. ff. t. Magnif. Dn. D. LudW. in Comment. ad divers. reg. juris antiq. l. 53. earum igitur inventor, sciens cujus sit, nec restituens, furtum committit, d. l. falsus, 43. §. 4. ff. de furt. imò, ut si nesciat, si sc. occultaverit, nec libello proposito se invenisse & restituere paratum indicaverit, d. l. 43. §. proinde, 8. §. c. si quid in venisti, XIV. q. 5. idem dicendum, si quis onere pressus in viâ rem abjecerit, mox cum aliis reversurus, ut eandem auferat, d. l. 8. ff. de L. Rh. de jactu. Ampliatur, ut etiam res de vehiculo, non intelligente domino, vel in itinere, ambulatione &c. cadentes domini maneant, §. fin. J. de R. D. d. l. 43. §. 4. & seqq. ff. de furtis. Reform. Noric. d. t. XXV. l. 2. Von gefundenen hab auf der straßen, Dn. Speidel. in Speculo, verb: Gefundene wahr &c. Prædicta verò, limitamus, si libri, resq; similes, quæ perituræ mox sunt, vel maris humorem ferre nequeunt, abjiciantur, ut tunc inventori acquirantur, d. l. 43. §. si jactum, 11. ff. de furtis.

V. Quartò æstimantur res nullius EVENTU quodam vel CASU, ut: res hereditariæ anteq. heres existat, l. 1. pr. ff. de R. D. quatenus instans tempus & incertus heredis eventus attenditur; quatenus tamè eventus aditæ hereditatis consideratur, personâ heredis repræsentat, quoniam aditæ hereditatis tempus, cum

tem-

tempore mortis testatoris continuatur, l. novatio, 24. in fin. ff. de novat. l. si ex re, 28. §. fin. ff. de stip. serv. Consultiss. Dn. D. Ludwell. in Comment. ad rubric. C. de suis & legit. lib.

VI. Deniq; dantur res quæ hominum destinatione sunt extrâ patrimonium nostrum, ut dominio facîle subjici nostro nequeant, quæ dicuntur *NULLIUS CENSURA*, quarum species: *RES SACRÆ, RELIGIOSÆ*, dictæ *DIVINI JURIS*, quia in usu ac ministerio Dei plerumq; consistunt, *SANCTÆ* verò ad earum exemplum introductæ videntur; vel, uti Giphani. in fine ad §. 7. J. de R. D. notat, *Ethnicorum more quosdam loqui, asserentes: Sacra ad Deos Superos, Religiosa ad Deos Manes sive inferos, Sancta ad mediosimos, i. e. homines pertinere: Res autem divini Juris ulteriori disputationi subjicimus, de RELIGIONE, cum pleræq; harum generali nomine RES RELIGIOSÆ audiant, initium facientes.*

VII. Quod de pluribus gentibus, id imprimis de Romanis proditum est, Religionem & sacra sua loco instrumenti eos habuisse, ad conservandum Reip. statum, Magnif. Dn. Limnæus in jure Publ. Imp. R. G. lib. 1. cap. 1. n. 12. hoc tamen iis vitio vertitur, quod religioni se obstringentes, & Diis fictis sacrificantes, mirum in modum superstitiosis delusionibus Pontificum & Augurum indulgerent, ut non immeritò Cato dixerit; *semirari, aruspex quod non videret, aruspicem cum videret, Consultiss. D. Rittersh. b. m. in explic. Novell. parte 1. cap. 1. num. 3. & seqq.*

VIII. Verbo autem ipso Religionis significantissimè Antiquitatem usam esse, Budæus in annot. ad *æ. l. 1. §. 9. verba: superstitiosum, iracundum &c. de adilitio edicto, ex Plinii epistolis indicat: Ficti fidem, metum, timorem, venerationem, conscientia stimulum, eodem comprehendunt, Spiegel. in Lexic. item pietatem, meticulosam observationem eorum, quæ à Diis prædicari videbantur, i. e. superstitionem, Joh. Schildius in C. Suetonii Octavio Cesare, cap. 90. ad verba: circa religiones, &c. Unde judicis religio-*

ligionem circumvenire, scelus dicitur Lockam. in l. ad §. ult. de excus. tut. lit. hb. & Ictus Cajus l. 1. ff. de jurejur. asserit, maximum expediendarum litium remedium in usum venisse jurisjurandi religionem. Gallo Aelio, contra religionem, vel, ut ipse loquitur, contra Deorum voluntatem agere, est: in adem Bona Dea virum introire adversus mystica, legem ad populum ferre die nefasto, apud Pratores lege agere, Antonius Thysius in C. Salustii bello Catilin. cap. 12. ad verba: quæ nostris majores religiosissimi & c. Hebrais quoq; religio accessus ad Deum vocatur, Epist. ad Hebr. cap. XI, 6. Hugo Grotius d. tract. lib. II. cap. XX. n. 46.

IX. Nostram quatenus in censuram venit, dicitur religio vel à religando; quia quasi religat homines, ne malè & contrà honestatem agant, Borcholt. ad §. 9. I. de R. D. n. i. hinc Gellius N. A. lib. IV. cap. 9. testatur, secundum Masurii Sabinii interpretationem, templa ac delubra religiosa esse, quæ non vulgò ac temerè, sed cum castitate ac cæremoniâ adeunda, reverenda, & reformidanda sunt magis, quam invulganda; vel à relinquendo; quia propter sanctitatem quandam à profanis usibus relinquuntur, removentur atq; seponuntur res istiusmodi, quas violare nefas est; quare in arandis agris, conferendis hortis, sepulchra & alia loca religiosa relinqui intacta solent, Gellius d. loco, Macrob. Saturn. lib. III. cap. 3.

X. Quando quidem autem religiosum dici possit, quod religione quâcunq; tenetur C. I. A. de religios. & sumpt. fun. ceu hoc nomine divulgantur multa, quæ è jure Can. tott. tit. decretal. & in 6. Clement. Extrav. Joh. & commun. de religiosis domibus petere licet; ut sunt omnia destinata religioni & divino cultui loca, veluti ubi suscipiuntur peregrini, ubi curantur ægroti, senes vel infantes, vid. tit. C. de episc. & Cleric. & Orphanotrophis & c. Nos verò hanc acceptio- nem religiosæ domus latiore agnoscentes, cum Wal. Andr. Desselio in erotem. Iur. Can. lib. III. tit. 36. & instituti nostri rationem habentes, non quæcunq; religiosa loca ac vice intra-
mus

mus; pleraq; autem ex iis cognoscentur, quæ de Templis rebusq; Ecclesiæ, & jure sepulchrorum dicturi sumus.

XI. RES SACRÆ principaliter sic dictæ sunt, quæ ritè per Pontifices ad ministerium Dei consecrata, & commercio exempta sunt, quas violare nefas est; veluti: *ades sacra & donaria*, §. *sacra res*, §. *J. de R. D. Ritè & per Pontifices consecratae sint*, necesse est; hi vocabantur apud Romanos, penes quos erat cura & summa potestas sacrorum *l. ossa*, §. *pr. ff. de relig.* Nobis hoc verbo veniunt illi, qui rebus sacris præfunt in Ecclesiâ, ministri verbi, Episcopi, *Nov. LXVII. cap. 1.* Ritus est sollemnis modus cujusq; populi receptus; is autem Deo acceptus est, qui habet preces adjunctas, ut Deus loco & operi præesse velit, & si quæ sunt alia, quæ in hujusmodi rebus à Deo petenda verbum Dei ostendit. *d. Nov. Hugo Donell. IV. Comment. cap. 1.* uti celeberrimum piissimæ solennitatis exemplum obtinemus à *R. Salomone*, in dedicatione templi, quod extat *1. Reg. VIII.* Prædicta autem descriptionis verba, tam privatâ authoritate factas quasi sacras res excludunt, *d. §. 8.* quàm distinctionem innuunt, quatenus hæ à rebus humanis ossibus destinatis *jure Justiniano* abeant, quas unusquisq; suâ voluntate facere poterat, mortuum in locum suum inferendo, §. *religiosum*, §. *d. t.* Sed & aliæ *ex seqq.* apparebunt differentiæ, quod sacra consecratione, sepulchra mortui illatione fiant; illæ Deo consecrentur, hoc est, usui ac cultui Divino; hæ ossibus defunctorum dedicentur. Cœtera descriptionis verba cum rerum religiosarum naturâ explicabimus.

XII. *Exempla* addita sunt: *ades sacra & donaria.* Ab illis igitur separamus *sacrarium*, quod, ut ait *Vlpianus*, etiam in ædificio privato esse potest, *l. sacra loca*, §. *illud notandum*, §. *2. ff. de divis. rerum*, atq; adeo interdicitur: *nequid in loco sacro fiat*, id sacrario non competit, *l. 1. §. 1. ff. ne quid in loco sacro fiat.* Sacrarium verò hîc non denotat *Sacellum*, & in *Klein Kirchlein* oder *Capel* prout *Sueton.* hoc vocabulo utitur, vel

B

par-

partem domus, Augusto in eâ nato sacratam, vid. *Ioh. Schild. in C. Sueton. Octav. Casare, cap. V. ad verba: ubi nunc sacrarium habet* & c. sed locum ubi deponuntur donaria, hoc est, vestes, ornamenta, & similia ad cultum Dei spectantia; hæc enim verbo: donaria, comprehenduntur. ; Die sachen so Gott allein ergeben / und keinem menschen zu gewalt gelassen werden / als: Messgewand / Kelch / Monstranz / heyligthumb / und anders / so allein zu den dienst Gottes gewidmet ist / Andreas Pernerer in *Instit. Imper. Sicuti harum rerum universam deprehendimus oeconomiam in Sacro Codice, lib. Exodi, cap. XXXVI. & tribus seqq.*

XIII. Aliæ quoq; sunt *res vel bona Ecclesiastica*, de quibus enucleatè *Dn. Speidel. in speculo, verbis: Geistliche Güter;* quæ non sunt deputata ad Dei cultum principaliter, sive immediatè ac simpliciter, ut sunt: *decimæ, redditus annui Ecclesiæ, ejusq; prædia, agri, prata, pascua, vineæ, piscinæ & similia, Dn. Harprecht ad d. §. 8. n. 5.* Ejusmodi enim res in commercio esse, ita ut pro usu & utilitate Ecclesiæ inde produci, obligari atq; alienari possint, docent *ex l. privilegia, 17. §. aliæ autem 1. & l. sancimus, 21. C. de S. S. Eccles. Nov. CXX. c. 6. & 7. c. sicut, XII. q. 2. c. ad aures, & c. super, seq. de reb. Eccles. non alien. Panormitanus dict. cc. Schotan. in exam. juridic. Digest. & Biccus in aureis, sect. II. th. 12.* Quare causâ cognitâ, sub lege meliorandi & excolendi prædia Ecclesiæ aliorumq; collegiorum aut domuum venerabilium ab Oecono mo vel Prælato, personæ Ecclesiasticæ, aut etiam laico, in emphyteusin dantur, *Novell. VII. c. 3. & d. N. CXX. c. 6. Covarruv. II. var. resol. cap. 17. n. 2.* Etiam si verò eorum proprietates hoc casu retineatur, certis tamen solennitatibus opus est, quibus concedantur, cum *d. Nov. VII. c. 3. per d. Nov. CXX. c. 6. correctâ sit, Nobiliss. Dn. D. Ritterh. in expos. Novell. p. I. cap. VIII. n. 16.* Coetium privatâ authoritate alienata repeti possunt *de jure civili, sine precii restitutione, auth. qui res. C. de S. S. Eccles. Sed*
jure

jure Can. acquirens aut alienans hæc, excommunicatur, & pro sacrilego habetur, *c. omnes ecclesie, XVII. q. 4.*

XIV. *Res Religiosas* verò propriè accipimus hîc pro sepulchris, vel illis adhærentibus, *l. quæ religiosis 43. ff. de R. V. Treutl. vol. II. Dissp. XX. th. 1. lit. d. ut sunt saxa, marmora, columnæ, arg. l. si sepulchrum, 2. ff. de sepulch. viol. & quæcunq; materia pertinet ad domos defunctorum, uti sepulchra vocat Imp. Constantinus, l. qui sepulchra, 4. C. eod. Sepulchri igitur appellatione omnem sepulturæ locum contineri existimandum est, l. Prætor ait, 3. §. 2. ff. de sepulch. viol. ac verò non totus qui sepulturæ destinatus locus erat, religiosus olim fiebat, hoc modo, ut fundus in toto circuitu suo talis cenferetur; siquid. ager purus monumento cohærens profani juris erat, *l. locum quidem, 9. l. si sepulchrum, 4. C. de religios.* sed quatenus corpus humatum, *l. locum, 2. §. locum, 5. ff. eod. Giph. ad §. 9. l. de R. D. i. e.* tantum illud spatium, quod occupabat cadaver in terrâ, vel suprâ, vel, quatenus gleba injecta, *Cic. lib. II. de LL. aut, quatenus cremandum esset corpus, Mynsing. ad d. §. 9. non autem ex latere, Schneidew. ad d. §. n. 7.* Modicus igitur locus spatium circa sepulchrum non afficiebat, *l. hanc legem, 22. l. in modicis, 24. ff. de contrab. empt. nisi speciâtim testator, vel is cui jus in re erat, vel etiam Magistratus designasset monumentum, quantum terræ spatium religioni cederet; unde illa nota: IN. FR. P. X. IN. AGR. P. XX. Gothofred. ad d. l. 2. §. 5. ff. de religios. vid. Cic. Philip. IX. hinc Horat. I. satyr. 8.**

*Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
his dabit: heredes monumentum ne sequeretur.*

Confer Giph. *ad d. §. 9. l. fundus, 30. ff. fam. hercisc. & tott. tit. D. & C. de religiosis & sumpt. fun. ubi MANIVM IVRA, prout Cic. lib. II. de LL. loquitur, quæ Majores nostri & sapientissimè instituerunt, & religiosissimè coluerunt, explicantur. Religionem sepulchri vocat Ictus Paulus in l. servitutes, 14. §. 1. ff. de*

servit. Ratio verò cur religiosa censeantur sepulchra, nullo negotio se præbet, si modo vel *Ethnicorum persuasiones*, qui animos ad Deos volare crediderunt, *Cic. in Lælio*, vel *Christianorum vera sensa*, quia sepulchra fidelium continent corpora, quæ fuerunt templa Sp. Sancti & membra Christi, *1. Corinth. VI., 19. & 15.* adhibemus, *Ioh. Kleinschmid in præcogn. jurispr. tract. III. sect. 3.*

XV. RES igitur RELIGIOSÆ sunt, quas unusquisq; privatus facit suâ voluntate, inferendo mortuum in locum, ubi quid juris obtinet, quæ commercio exempta, & earum violatio nefaria. Non quidem diffitemur, ita descriptas multum antiquitatis sapere. Cæterum sicuti res sacræ publicâ auctoritate efficiuntur per Pontificem, *Nov. LXVII. c. 1. Nov. CXXXI. c. 7.* aut Principem *l. sacra loca, 9. §. sciendum, 3. ff. de div. rerum*, aut nostris moribus per cujusq; loci Antistitem aut Episcopum, *D. Besold. in dissert. de jure & divis. rerum*; ita hodiè *Jur. Can.* auctoritas Episcopi, vel ejus, qui in has auctoritatem Episcopalem obtinet, & consecratio ad res religiosas requiritur, *c. adhæc, 4. de religios. domib. & tot. tit. de sepult. in 6. Schneidew. & Excell. Dn. D. Ludw. in Comment. ad dd. §. §. Desselius in erotem. jur. Can. lib. III. tit. 36.* quia religiosæ quoq; ad Dei cultum referuntur, *Anton. Perez. in erotem. Inst. Imp. d. t. de rerum divis. pag. 86.* Adhibetur qq. aspersio aquæ benedictæ, & alia solennia fiunt, sine quibus sepulchra non possunt fieri religiosa, Pontifice ita volente; ut ratione consecrationis, corpora non ita vexentur spiritibus immundis, *Panorm. ad rubric. de sepult. n. 1.* Ex hoc jure etiam venit, ut, sicut ille, qui ad Ecclesiam confugit, ita & qui ad cœmeterium, per seculares Rectores & judices invitatus & violenter extrahi non possit, *c. si quis contumax, XVII. q. 4. j. l. fidelis, 2. C. de his qui ad Eccles. confug. Schneid. ad §. ult. l. de his qui sui vel al. juris sunt.* Apud nos aspersio abolita est, & cœmeteria dedicantur atq; constituuntur à Magistratu cujusq; loci, *Giphani. in antinom. lib. II. D. VIII. th. 20.* vel etiam ab Antistite Ecclesiæ,
adeò

adeò, ut sit idem juris in accessorio, quod in principali, *c. accessorium, de R. I. in 6.* in parte quod in toto, *l. quæ de totâ, 76. pr. ff. de R. V. Petrus Osterm. Disp. XI. ad d. §. 9. de R. D.* In eo demum *Jus Can.* sequimur, quod in locis publicè ad hoc destinatis sepulturæ fiant, *c. fraternitatem, 3. de sepult.* unde & cœmeteria vocat *Ioh. Arnold. Corvin. in Enchirid. Inst. Imp. ad d. §. 9. pag. 63.* loca publica, mutato jure, adde *§. C. I. A. de R. D. §. 28.* Cœmeterium, Germanico idiomate, *Ein Gottes Acker* / insignitur, in eo namq; Deus semen suum seminavit, & segetem habet, in Salvatoris adventu maturam demetendam, & in cœleste invehendam horreum, zizaniis in æternum immissis ignem. Sepulturam *Jus Canonicum* appellat locum concavum, in quo in Ecclesiastico cœmeterio corpus catholici requiescit, *c. pen. ibi: effodi, X. de sepult. c. aurum, XII. q. 2. c. cum gravia, XIII. q. 2. Panorm. ad d. rubr. de sepulturis.*

XVI. Diximus, religiosum locum unumquemq; facere suâ voluntate; hîc de locorum differentiis quoad proprietatem, & alia multa ex antiquitate eruenda essent, si hodiernus usus mutationem non recepisset. At verò *Clariss. Icto Oldendorp. Class. II. act. 9. pag. 239.* docente & demonstrante, cum multa per bonam consequentiam ad nostra tempora exinde deduci possint, aliquem antiquitati honorem deferamus. Quæ admodum olim liberum fuit unicuiq; destinare sibi locum, in quo vellet sepeliri, modo tamen id sine alterius injuria fieret, qualis locus tunc jure naturali censebatur deberi, *l. scriptus heres, 4. in fin. ff. de religios.* ita & nunc tribuendum est aliquid testatoribus, ut eligant sepulturæ locum, modò is nulli incommoditatem inducat, *c. nos instituta §. c. de uxore, 7. extr. de sepult. c. cum quis, 2. §. c. licet pater 4. eod. in 6.* Ut olim res non nudâ destinatione fiebant religiosæ, arg. *l. in tantum, 6. §. religiosum 4. ibi: dum mortuum infert §. c. ff. de divis. rer. l. Lege Julia, 34. §. non fit, 6. ff. ad L. Jul. pecul.* quamvis aliàs destinatum habeatur, pro re sive actu perfectò, *l. si pollicitus, 1. §. cæpisse, 3. ff. de polli-*

cit at. l. cum aurum, 19. §. infecti, 11. ff. de auro leg. Dn. Harprecht
ad tit. Inst. de reb. corporal. n. 15. Gail. lib. 11. observ. 11. n. 2. & 5.
sic & hodiè nuda voluntas non sufficit, sed cum voluntate
ipsum factum, quatenus nimirum ornamenta, tumulus &c.
iam demortuo adhibentur, & cœmiterium reverâ constitu-
tum, requiritur. Hocq; modo religioni rebus & locis destina-
tis, nullus amplius eorum dominus; quod enim antea volunta-
tis, & facti erat, illud dedicatione tali necessitatis & juris red-
ditur, arg. d. §. 9. & d. l. 6. §. 4. ibi: & licet postea ratum &c. j.
§. 7. l. & l. summa, 1. pr. ff. de rer. divis. c. quod semel, 21. d. R. l. in 6.
Mynsing. ad d. §. 9. Quamvis autem res divini juris non sit in
alicujus dominio, rectè tamen vindicatur, cum vindicatio non
solum ratione domini competat, sed ratione juris realis,
omnesq; actiones in rem, contra quemlibet possessorem insti-
tutæ, dicantur vindicationes, Paulus de Castro ad l. privilegia,
17. C. de S. S. Eccles. n. 2.

XVII. Nunc ad ipsum quod rei caput est nos accinga-
mus, sacra & religiosa conjungentes; uti namq; ista, ita & hæc
Lex XII. tab. ante omnia sedulo observavit, hinc expressè cõ-
stituens: *sacrum sacrove commendatum: qui deperit rapsitque,
parricida* (sacrilegus, vid. Scholia Oldendorpii,) esto; item: *ve-
stibulum sepulchri bustumve ne usu capito*; namq; res divini ju-
ris non agnoscunt usu capionem, l. usucapionem, 9. ff. de usurp.
& usuc. mortales nihil à Diis immortalibus usu capere solent,
piaculum enim est, inquit Cic. in Orat. de haruspic. respic. arg.
l. inter stipulantem, 83. §. sacrum, 5. ff. de V. O. Frideric. Tile-
man. Diss. ad II. part. post. D. XIV. th. 29. Matth. Wesenb. parte
I. conf. 4. n. 38. & elegans est textus in l. qui universas, 30. §. 1.
ubi in fine additur: *locum religiosum non possumus possidere, etsi
contemnamus religionem, & pro privato eum teneamus.* Hæ res
igitur extra commercium, §. idem juris, 2. l. de inutilib. stipul.
d. l. 83. §. 5. ff. de V. O. quam diu in istâ conditione manent,
ullo modo acquiri nequeunt, arg. l. si in emtione, 34. §. 1. j.
l. 1.

*3. l. qui officii, 62. §. qui nesciens, 1. ff. de contrab. empt. adeò ut
impium remedium habeatur, quod triginta annorum metis
exceptionem rerum harum concludere velit, Nov. IX., in pref.
versu. habeat itaq; &c. Cum verò usucapio maximè sit Iuri & a-
quitati naturali conveniens, Magnif. D. Tabor. Iuris spr. method.
p. 11. th. 22. hinc centenaria præscriptio in venerabilibus locis
olim obtinebat, l. 23. C. de S. S. Eccles. ibiq; Jason, n. 15. & 20. quam po-
stea rursus ademit Justinianus, substitutâ præscriptione qua-
draginta annorū, sive octo lustrorum Nov. CXI. & Nov. CXXXI.
c. 6. Si igitur cum Ecclesiâ agatur, servemus actionibus præscripta
tempora; si Ecclesia agat, quæcunq; tandem sit illa actio, non
obstet nisi añorum quadraginta præscriptio, Jacob. Cuj. in expos.
Novell. ad dd. NN. & in observ. lib. V. c. 5. Hoc loco non incon-
venienter quæritur: an etiam ad præscriptionem feudi in rebus
religiosis quadraginta anni requirantur? Sunt qui hoc affirmant,
quos notat Consultiss. Dn. D. Ludwell. in Synops. Feud. cap. 8. pag.
216. Verius igitur in his bonis triginta annos sufficere, propter
textum *c. si quis, si de feudo def. mil. cont. sit, 11. feud. 26.* qui ge-
neraliter loquitur. Neq; textus allegati contrarium evincunt,
distinguiamus siquidem inter præscriptionem ipsarum Eccle-
siasticarum rerum, & inter præscriptionem Juris Feudalis;
quod salvâ proprietate, quæ penes Remp. manet, alicui con-
stituitur.*

XVIII. Servitus per loca sacra ac religiosa nulli debe-
ri, *l. servitutes, 14. §. ult. in fin. ff. de servit. illis tamen consti-
tui potest, d. l. §. servitus, 1. quæ longo tempore non utendo
non amittitur, l. iter 4. ff. quemadm. servit. amitt.* Si ab igno-
rante res sacræ emuntur, valet quidem venditio ex *l. & liberi,
4. ff. de contrab. empt.* non tamen ut emptoris fiant, quia ea,
quæ legibus contrariantur, pro infectis habenda sunt, *l. ju-
bemus, 14. §. sane si, 1. in fine. C. de S. S. Eccles.* Episcopus nam-
q; tanquam vicarius & minister Dei, vel oeconomus vindi-
cat eas, *l. sancimus, 21. d. t. interim datur emptori actio ad interes-*

se

se, cū ipsum circumvenire bona fides non patiatur, §. fin.
J. de empt. vend. l. si in emptione, 34. §. 1. & 2. l. liberi hominis,
70. ff. de contrah. empt. Petrus Osterm. Diss. ad Instit. XI. ad. §.
8. de R. D. Sciens autem emptor ad restitutionem earum te-
netur, d. l. 14. §. 1. C. de SS. Eccles. Sīchardus ad rubric. C. de pig-
norib. & hypoth. n. 25. Castrensis ad l. 17. C. de S. S. Eccles. n. 1.
 Titulo autem accessionis res sacras & religiosas ad alium trās-
 ire posse, colligitur ex *l. quādam, 62. ff. de A. R. D. l. si merce-*
dem, 53. §. si eum fundum, 1. ff. de act. empti, Thomas Lindeman.
Exerc. Justin. II. th. 19. & 13. nam cum aliās non possint alie-
nari, hoc casu tanquam accessio majoris partis, unā vendun-
tur, l. hanc legem, 22. j. l. in modicis, 24. ff. de contrah. empt. arg. l.
si venditor, 10. ff. de religios. Quā ratione tantum accessorii ob-
 tinent vicem, quod confirmandum ex naturā principalis.
 Cum eo respectu non super rebus Divini juris, sed aliis in
 commercio existentibus contractus censeatur initus. Sicuti
 aliās multa cum Universitate & aliis rebus connexa transire
 solent, quæ tamen sigillatim alienari aut vendi non possunt;
 quale exemplum nobis præbetur in *c. ex literis, 7. de jure Pa-*
tron. ubi Panorm. concludit, quod magis dignum quandoq; possit
accedere minus digno.

XIX. In feudum quoq; dari nequeunt, *c. investitura,*
§. 1. per quo fiat investitura, II. feud. 3. nisi in consequentiam,
 quando profanis in feudum datis accedunt, *arg. d. l. 22. cum*
seqq. ff. de contrah. empt. vel iis casibus, quibus hæ res licitè a-
lienantur, Consultiss. Dn. D. LudW. in synops. Juris feud.
cap. XII. pag. 308. Si igitur necessitas aliqua urgeat, ut res non
solitæ infeudari, in feudum concedantur, hoc non fiat à Præ-
latis duntaxat, sed consentiat capitulum, solenni ac diligen-
ti desuper habito tractatu, c. sine exceptione, XII. q. 2. & tot. tit.
de reb. Eccles. non alien. in 6. Gail. practic. observ. lib. II. obs. 50. n.
1. Hoc quoq; peculiare est rebus religiosis quoad feudum,
 quod si novum sit seculare, possit concedi jure feudi antiqui,
 Gail.

Gaël. d. loco, Mynsing, Cent. IV. observ. 84. ubi hanc sententiam communiorem dicit; feudum verò rerum divini juris novum nō habeatur pro feudo antiquo, etiam si sic Vasallo concedatur, Joh. Emeric. à Rosbach. de comparat. Juris Civ. & Can. lib. II. tit. 14. n. 1. & seqq.

XX. Certi verò casus, quibus res hæ etiam separatim alienari possunt, sunt: si pietas id suadeat & permittat, veluti ad redimendos captivos, §. *sacra*, §. *J. de R. D.* vel pro alimentis pauperum, tempore famis, l. *sancimus*, 21. *ibi gloss.* & *Dd. in l. jubemus*, 14. *C. de S. S. Eccles. cum animæ hominum rebus quibuslibet pretiosiores habeantur, gloss. Mynsing. Borcholt, ad d. §. 8. aurum quandoq. (ut canonista loquitur, c. aurum, XII. q. 2.) Ecclesia possidet, ut erogat in necessitatibus, non ut servet, add. Recess. Imp. Spiræ, Anno 1542. §. Aber die Kirchen, id quod Clodoveum R. Gallix perpetrasse docemur ex Naucero, lib. II. generat. 23. & Meigero in nucl. histor. part. I. lib. I. cap. 28. qui, cum exitiosa famis in Galliâ exoriretur, argentum, quo Parens ejus R. Dagobertus templum S. Dionysii Parisiis tegendum curaverat, detractum, ad conservandos pauperes adhibuit. Secundus casus ad alienationem rerum sacrarum sufficiens est æs alienum urgens, quod aliunde persolvi nequit, *auth. hoc jus porrectum*, & *auth. præterea*, *C. de S. S. Eccles. c. placuit, ubi glossa*, XII. q. 2. item evidens Ecclesiæ utilitas, *auth. item prædium*, *C. d. t. c. terrulas*, XII. q. 2. Possunt insuper res divini juris etiam lege aliquâ rursus fieri profanæ, l. 83. §. 5. ff. de V. O. sacris inde evocatis, l. *sacra loca*, §. *illud notandum*, 2. ff. de divis. rerum. Ne verò ejusmodi rerum profanatio irrita pronuncietur, opus certis solemnitatibus, autoritate sive decreto Superioris, & consensu totius Cleri seu capituli, *Joh. Emeric. à Rosbach, d. tract. lib. II. tit. 1. n. 10. & seqq.* Suggestit *Matthæus Wesenb.* & aliam rationem alienandi res sacras licitam, si videlicet suas amittant formas, e. g. si calix sacer confringatur, *parte II. cons. 79. n. 4.**

C

XXI.

XXI. Extra prædictos casus & modum præscriptum, ne Summus quidem Princeps de rebus divini juris habet facultatem disponendi, *c. convenior, XXIII. q. 8. arg. l. 14. C. de S. S. Eccles. & l. sancimus, 46. C. de Episc. & Cleric. c. si Clericus, & c. verum quoniam, de foro comp. & nisi eas ablatas restituant Reges aut Principes excommunicantur, & ab Ecclesiâ cujus facultates auferunt, excluduntur; Clerici simile committentes, anathemate feriuntur, *c. qui res ecclesiæ, c. cum laicis, c. si quis presb. & t. t. de reb. Eccles. non alien.* Oeconomi, qui in quacunq; rerum harum alienationem consenserint, vel fieri eam passi fuerint, commissâ sibi oeconomatus administratione privantur, deq; illorum bonis, quodcunq; exinde Ecclesiæ incommodum contigerit, restituitur, *d. l. 14. §. oeconomus C. de S. S. Eccles.* Judices, vel jus gestorum habentes, qui hujuscemodi donationum vel contractuum veterum gesta confecerint, dignitatis propriæ & bonorum omnium spoliatione damnandi sunt, *d. l. 14. §. his quoq;, 4. ut proinde Notarii cautè procedant in conficiendis instrumentis, ne res tales in contractum veniant, vid. Adam. Volckm. inform. Notar. p. I. membr. I. tit. 4. cap. 14. n. 2. aliàs ad interesse obligantur, Ord. Notar. Anno 1512. in fine, vel irrevocabili exilio plectuntur, d. l. 14. §. his tabellionibus, 3. C. d. t. de S. S. Eccles.**

XXII. Manet ergò indubitati juris, quod semel dedicata Deo, in profanum usum converti nequeant; quod ampliatur: etiamsi *abusus* se immisceat, *c. bene quidem, dist. XCVI. c. sacrilegium, & c. omnes. XVII. q. 4.* Legatum igitur ad piam causam, vel eam, quæ putabatur tunc pia, veluti celebratio missarum, invocatio sanctorum, usus monasteriorum, cessante ap. veros Christianos illâ causâ, quia detegitur impius esse usus, non revocatur, nec ad heredes testatoris pertinet, sed ad alios usus pios converti debet, *arg. l. legatum 16. ff. de usu & usufr. leg. Magnif. Dn. Carpzov. in Jurispr. for. Rom. Sax. p. III. c. XIII. d. 27. n. 3. & seqq. Hinc Hoenon. Diss. Jurid. IX. th. 1. lit.*

lit. q. asserit: Res sacras in profanos usus convertere impium est, & licet forsitan usus iste, ob quem huic vel illi templo vel monasterio à pijs hominibus multa data sunt, cesset, vel impius deprehendatur, non tamen id circò ea, quæ donata sunt, ad donatorum heredes pertinent, vel ad profanos usus transferrì, sed tantùm ad pias causas converti debent. Nec hanc turbat sententiam l. omnia, 5. C. de pagan. & sacrific. ubi loca & bona Ethnicorum sacris attributa, fisco vindicantur. Etenim nostra assertio ad bona monasteriis & templis relicta inter Christianos restringenda. Magna verò inter hæc & illa bona est diversitas; illa dæmoniis fuere dedicata, ut arguit D. Paulus, I. Corinth. X, 20. quæ fisco tanquã vacantia quocunq; modo potest vindicare; hæc verò Deo consecrata sunt, & Ecclesiæ; quæ, quanquam magnis ante hæc tempora tenebris erant involuta, hoc tamen non in eorum deprædationem, sed in alios pios usus vergat, Dn. Harprecht ad d. §. 8. n. 9. Et ita pronuntiatum (recenset Magnif. Dn. Carpzov. d. loco) in causâ Ottonis Edlen von Plato / mense Febr. Anno 1630; verba sententiæ: Ob wol daß Kloster Gerbsted ein Geistlich gut ist / so ist doch dabey wol zubedencken / daß solches denen Ordens Personen / und nachdeme nunmehr daß Kloster leben abgethan / und daß Liecht des H. Evangelii an tag kommen / auch denselben gemäß die Christliche Religion reformiret ist / Kirchen und Schulen zu nutz verordnet worden / in ansehung / daß zu dero unterhaltung solche güter angewandt werden sollen / wie solches durch Hieron. Schurff. cent. 1. consil. 47. n. 11. usq; ad n. 14. & in ead. cent. cons. 90 mit vielen Rechtsgründen statflich auß geführet / auch von Wesenb. cons. 37. n. 6. 7. & seqq. confirmiret, und durch des H. Röm. Reichs / Anno 1555 / §. dieweil aber etliche Stände und deroselben Vorfahren zc. zu Augspurg publicirten Abschied / und Churf. Moris Hochlöbl. Gedächtnis publicirten Löbln. Landsordnung / sub tit. von dem überlauf der Geistlichen güter / §. tit. seq. besteffiget wird.

XXIII. Quod de abusu circa res sacras dictum, idem juris est, quando templa ob rebellionem, vel crimen violatæ pacis publicæ, aut ex causâ scandali, sine spe reædificandi, destructa, soloq; exæquata, autoritate & facto Superioris; So die Tempel oder dergleichen Heil. Ort durch die Obrigkeit geschleiffet worden; ablatæ enim inde res divini juris ad huc integræ ad cultum Dei tunc sunt referendæ. Quamvis Ecclesiæ hoc casu (modo à Tyranno non fuerint destructæ,) ob maximam capitis deminutionem omnia privilegia & jura amiserint, per *text. in l. cognitionum. 5. §. consumitur, ff. de variis & extraordin. cogn. & destructo sic principali, destruendum etiam sit accessorium, l. si ususfructus, 20. ff. quib. modis ususfr. amitt. Gail. lib. 11. obs. 61.*

XXIV. Concludimus itaq; nullo modo convenire san-
ctuarium Dei possidere, *c. ad decorem, 5. de Institution. ne con-*
tingat Harpyiis res Deo dicatas rapiantibus quod aquilæ, fru-
stum victimæ immolatæ unâ cum carbonibus accensis arripi-
enti, & ad nidum deferenti, cujus verò nidus vento vehemen-
tius spirante, incensus, Æsopus fab. 172. Petr. Osterm. D. ad J.
XV. ad §. 1. de usuc. Rationem elegantem ex c. convenior, XXIII.
q. 8. afferre ex Magnif. Dn. Schüz D. V. th. 6. operæ precium
erit: scil., cum hominibus res auferre suas non liceat, multo
minus licebit auferre Deo. Exempla sanè tristissima templo-
rum spoliatorum, à Q. Servilio Cæpione, Rege Cambyse, Pho-
cenibus (plura sunt odiosa,) Deo displicuisse testantur. Fur-
tum est si privato res auferantur, vel rapina; sacrilegium si Deo.
B. Lutherus vocavit: Adlers federn/so andere verzehren. In Sacris
ubi μεταμόρφωσις rerum Ecclesiasticarum in profanos usus,
provocavit vindictam Dei, horrendum extat præter
alia exemplum Belsasar Chaldaorum Regis, Daniel. V. per tot.
Xenophon. lib. VIII. Joseph. in antiquit. Judaic. lib. X. cap. 17. vid.
idem Josephus libro XIV. cap. 14. & Egesippus lib. I. cap. 23. de M.
Crasso, sacrilego. Hinc pie admodum D. Ambrosius, Basilicam
ad Imperatoris mandatum tradere jussus, animo forti respon-
dit

dit: nec mihi fas est tradere, nec tibi accipere, Imperator! expedit.
Domum privati nullo potes jure temerare; domum Dei existimas
auferendam? noli te gravare Imperator! ut putes te in ea, qua di-
vina sunt, Imperiale aliquod jus habere: noli te ex tollere; sed si vis
diutius imperare, esto Deo subditus. Ecquis aurum Tolosanum re-
perpensâ attinget? vid. Eras. Roterod. in adag.

XXV. Sed quia in sacrilegium *th. preced.* incidi, de eo
breviter agendum. Committitur verò sacrilegium, inter fur-
ta execratissimum, jure civili, quando res sacræ è loco sacro
auferuntur, *l. sacrilegi. 9. §. sunt autem, 1. ff. ad L. Jul. pec. & de
sacrileg. quod proprium vocatur, secundum Jodoc. Damhouder.
in praxi rerum crim. cap. 111. n. 3. Menoch. arbitr. quest. Judic. lib.
III. casu 383. l. Divi Severus, 5. ff. d. t. verum secundum Jus Can.
c. si quis contumax. & c. quisquis inventus, XVII. q. 4. & constitut.
Caroli V. in der P. N. D. art. 171. triplici modo sacrilegium
committitur: namq; præter communem, etiam fit sacrilegiū
ablatione rei sacræ è loco profano, vel contrâ, rei profanæ è
loco sacro. *Sichardus ad l. si nondum, 3. C. de furtis & servo corru-
pto, n. 9. Salicetus ibid. n. 2.* Sacrilegi verò pro qualitate delicti
vel ad bestias damnantur, vel igni addicuntur, vel suspendio
necantur, sive etiam capitis pœnam sustinere tenentur, *l. sacri-
legii pœnam, 6. pr. ff. d. t. ad L. Jul. pecul.* Secundo modo, afe-
rens rem religiosam, perpetuo exilio vel manus amputatione
plectendus, arbitrio judicis, ut & tertio; *consuetudo* tamen eum
pariter damnat laqueo aut gladio, *Damhoud. d. loco, n. 6. & 7.*
ubi illud *improprum*, hoc *maximè improprum* sacrilegium vo-
cat; add. *Ludovic. Gilhaus. in arbore judic. crim. cap. 11. tit. 33. de
sacrilegio & peculatu; & P. N. D. art. 72. & duob. seqq.* Ab hoc
loco quærere non alienum, dum sacrilegium committitur, an te-
neantur pœna sacrilegii in excubiis stantes, vel opem aut consilium
ferentes? affirmativam suadet *§. interdum, 11. J. de oblig. qua ex
delict. & l. 15. qui opem, §. 4. ff. de furtis; consentit Jus Saxonie. in
Landrecht libro II. art. 12. Wer einem mit hülffe (zudem Diebstal)**



stärcket / wird er deß überwunden / man soll über ihm richten / alsß über jenem / der es selbst gethan hat ; verum aliam rationem esse sacrilegii docet *Magnif. Dn. Carpzov. p. IV. c. 29. d. 4. n. 6.* ubi sola violatio sacrorum attenditur, quæ cum stantes in excubiis propriè non lædant, meritò à sacrilegii poenâ excusantur, *arg. c. odia, 15. de R. J. in 6. & l. interpretatione, pen. ff. de poenis. quod & velle videtur, art. 174. in der P. H. D.* attamen in *clausulâ* additur : noch soll in solchen Kirchenraub und diebstålen weniger barmhertigkeit bewiesen werden dan in weltlichen diebstålen ; Ergò, amplius quam fures, minus quam sacrilegi tenentur, *arg. d. l. p. §. 1. ff. ad L. Jul. pecul. & de sacrileg.*

XXVI. Sacrilegio crimen proximum est si jus Manium violatur, *l. pergit, 5. C. de sepulch. viol, & violatores vocantur rei læsæ religionis, l. res religioni, 1. C. d. t. Vultei. in Jurispr. Rom. lib. I. cap. 46.* Violatio ista consideratur, vel quando quis impedimentum præbet, quò minus sepeliri mortuus commodè possit, de quâ est Edictum Prætoris *l. 1. ff. de mortuo infer.* quod extenditur, ut funus ducentem, sicut & sacra facientem, ne quidem in jus vocare liceat, *l. in jus vocare, 2. ff. de in jus voc. Jacob. Cujac. ad African. tract. 8. pag. 568.* Sed nec propter delictum defuncti sepultura ejus impediri debet, & creditores impediens vel cadavera arrestantes de jure *Cod. puniebantur quinquaginta auri librarum poenâ, & non habentes in ære, luebant in corpore, l. fin. C. de sepulch. viol.* Hodiè jure *auth. poena in famiæ, confiscationis tertiæ partis bonorum, amissionis similis sortis in eos constituta, qui hoc attentaverint, auth. item qui domum, C. d. t. Nov. LX. cap. 1. Nov. CXV. cap. 5. Joach. Schnobel. disp. ad π. VII. th. pen.* Quin, etsi defunctus ex sententiâ latâ teneatur satisfacere creditoribus, aut etiam in instrumento productò à creditoribus ad in carcerationem se obligaverit, nihilo magis tamen arrestatio cadaveris erit permittenda, *Magnif. Dn. Carpzov. p. I. c. XXX. d. 22. neq; pro demortui corpore vectigal solvendum, l. ne corpora, 38. ff. & l. fin. C. de relig*

relig. & sumpt. fun. Porro violatio fit, quando ipsæ demortuorum domus invaduntur, *l. qui sepulchra, 4. C. de sepulch. viol.* Ex quâ lege elegans ratio deducitur, quippe cum cuiq; domus sua sit tutissimum refugium, *l. pleriq;, 18. ff. de injus voc. & nemo de domo sua extrahi debeat, l. sed etsi, 21. ff. d. t. l. nemo, 103. ff. de R.* Multo magis regulæ honestati conforme erit, domum demortui non devastare, vid. *l. locum, 2. §. Prætor ait, ibiq; glossa in verbo: pecuniaria, ff. de religios. l. si sepulchrum, 2. ff. de sepulch. violato*, dabiturq; publicâ accusatio adversus eos, qui defunctum tanquam domo suâ & dormitorio extrahunt; Pœna verò, quâ rei sepulchrorum violatorum afficiendi, arbitraria constituitur à *Jcto Paulo, l. ult. ff. d. t. & Marciano, l. Lege Julia, §. mandatis, 2. ff. ad L. Jul. peculatus.* Nihil enim immanius, quàm in mortuos hyænæ instar sævire, neque sepulchrorum spoliatoribus unquam avaritiam istam bene cessisse, docet *Clariss. Piccart. observ. histor. Polit. Decad. IX. cap. 9.*

XXVII. Addendum adhuc aliquid, sed breviter, de locorum sacrorum ædificiis; si fortè ædificare in detrimentum loci sacri vel religiosi, aut ligna aliamve materiam in sacris ædibus reponere quis tentet, nondum tamen aliquid ædificatū aut repositum sit, datur eis qui ædes sacras curant, *l. i. §. ult. ff. ne quid in loco sacro fiat*, vel etiam omnibus volentibus, quia publica sive popularis est, *l. i. ff. de loc. & itin. publ. actio*, ut post-hac à tali de honestatione loci sacri abstineat, *d. l. i. ne quid in loco sacro*, quod si jam immiserit aliquid, aut ædificaverit, vi ejusdem interdicti agitur ad demolitionem & recuperationem, ut immissum aut ædificatum tollat, & locum religiosum in pristinam commoditatem omnibus deservientem, restituat. Hinc apparet interdictum istud non prohibitorium tantum, sed etiam restitutorium esse, *Ioh. Oldendorp. Class. II. act. 9. n. 2. & 3.* Immissionem intelligimus qualemcunq; quâ conspurcatus sit locus sacer, aut quâ deformitatis vel incommodi causâ aliquid in eo fit; ut verò locus sit actioni, necesse est, ut ædificium

cium noceat loco sacro, vel immissio ad incommoditatem ejus tendat: nam si quid ornamenti causâ fiat, veluti si quis in templo picturam aliquam suspendat, imaginem ponat, &c. prohiberi non potest, *Arnold. ab Haërsolte in advers. de action. parte VI. art. 5.*

XXVIII. Loca divini juris prædictis modis constituta, desinunt esse talia, si occupentur ab hostibus, *l. cum loca, 36. ff. de religiosis, l. sepulchra, 4. ff. de sepulch. viol.* quatenus nimirum lapides, e. g. è monumentis vel statuis sublatis in quæcunq; usû convertere possumus; non ut ipsa demortuorum corpora male tractentur, quia id est contrâ jus hominum sepeliendorum, *Hugo Grotius de I. B. ac P. lib. III. cap. 5. circa fin.* & in hæc sævire, contrâ jus victoriæ est, *Florus libro II. cap. 7.* Observandum idcirco, etiamsi in religiosa, & ea quæ in honorem mortuorum structa sunt, iræ exercendæ impunitatem *jus Gentium* indulgeat, violari tamen non posse nisi contemptâ humanitate, *Grotius d. lib. cap. 12.* Quæ enim neq; ad bella nobis futura sunt usui, nec hostibus incommodatura, ea ire perditum, templamaximè, & quæ in iis simulacra, & similia ornamenta, quis neget, malæ mentis & præ irâ furibundæ esse opera, quærit *Polybius?* Laudamus eos hostes, qui in bello religionis & consuetudinum jura retinuerunt, teste *Cic. Verr. IV.* Quod si loca ista liberata fuerint, quasi postliminio reversa pristino juri restituantur, *d. l. sepulchra, in fine, ff. de sepulch. viol.*

XXIX. Properandum nunc ad *RES SANCTAS*, quæ à Sacris & Religiosis eatenus abeunt, quatenus *dedicatione aliquâ non exempta sunt rebus humanis, aut religioni consecratæ, sed magis quâdam legis sanctione, l. sanctum, 8. cum l. seq. §. 3. ff. de R. D. ibiq; Wesenb. n. 2. & in comment. ad Instit. eod. tit. §. n.* Hinc non propriè dicuntur Divini Juris, sed quodammodo, *l. 1. pr. ff. d. t. atq; medium* constituunt inter sacrum & profanum locum, *d. l. 9. §. 3. ff. de rer. divis.* Appellantur sanctæ, quod ab injuriâ hominum defensæ & munitæ persistent, *l. sanctum, 8. pr. ff. de*

ff. de rer. divis. Num. XXXV, 6. Deut. IV, 41. & seqq. XLX, 2. 3. ut sunt, muri, quorum violatio capitalis, cum civibus Romanis aliâ viâ, quam per portas egredi non liceat, illud enim hostile & abominandum est, quare & Romuli frater Remus occisus traditur ob id, quod muros transcendere voluerit, l. ult. ff. de R. D. Livius. Budæus, ad d. l. 8. De murorum transgressoribus adde prætereâ Magnif. D. Schüz d. D. V, th. 7. Hænon. Diss. Jurid. IX, th. 1. lit. p. Dn. Vngepaur. Diss. ad Inst. VIII, q. 2. Giphon. in antinom. Diss. ad Inst. VIII, §. ult. & Coroll. Sutholt. Diss. ad Instit. IV, §. 9. ibiq. Schröderum. Ioh. Wurms. in nucl. controu. jur. D. V, §. 6. Forsterum ad §. 10. I. de rer. divis. Borcholt. ibid. Besold. lib. 1. Pol. n. 7. v. 4. Clapmar. de arcan. Polit. lib. III. cap. 7. Arnæsum, in Polit. Arist. lib. I. cap. 6. D. Liebenthal. in Colleg. Polit. Exerc. V, q. 1. in fin. Fræereisen, Diss. Pol. III, q. 6. & infinitos alios, quibus recensendis operam perdere nolo.

XXX. Ne tamen intactam relinquamus quæstionem: an pœna capitalis sit constituta omnibus murorum transgressoribus; an verò iis tantum, qui Romane Urbis muros transcenderint? Respondemus ad eam prius affirmando, cum cives Romani etiam sint in municipiis viventes, l. in orbe, 17. ff. de statu hom. Sid. Magn. Dn. D. Ludvv. ad d. §. 10. & in Exerc. Justin. IV, th. 2, lit. b. Biccus in aureis, sect. II, th. 14, lit. g. At & Remus jure occisus? quæritur: affirmativa placet, etiam si cogitationis pœnam nemo patiat; l. 18. ff. de pœnis, Jul. Pac. évailio Qavâv cent. I, q. 38. & frater in fratrem tanquam par in parem non habeat imperium, l. nam magistratus, 4. ff. ad SC. Trebell. Secus est in discipulis Chritti, Paulum Apollolum dimittentibus noctu in sportâ per muros civitatis Damasci, Act. IX, 25. Petrus Osterm. d. Diss. XI, ad §. 10. quia non deliquere in muros, quod fit, quando scalis admotis eos aliquis transcendit, d. l. ult. ff. de rer. divis. Donell. IV, comment. cap. I, in fine. Si quis eos perforet, aut aliquid inde auferat, peculatus actione tenetur, l. qui perforaverit, 11. ff. ad L. Jul. pecul. nec quid illis imponere vel conjungere licet, aut sine jussu relicere, l. 8. §. ult. l. sacra, 9. §. muros, 4. ff. de rer. divis. ubi Angelus notare jubet textum adversus eos, qui domos adhaerentes muris civitatum construunt, quia puniri debent, opus autem dirui, l. edificia 14. C. de operib. publ. ibiq. Salicetus. quando sc. usui publico nocent; add. l. 2. & 3. ff. ne quid in loco sacro fiat, & Arnold. ab Haensolte act. advers. parte VI, act. 2. n. 6.


XXXI. Alterius quæstionis est: si quis muros transcendit, & ex eâ transgressione bonus & utilis Reip. eventus sit secutus, num pœnâ plectendus capitis? veluti: qui hostem appropinquare animâ vertit, muros transcendit civitatis, & hostes feliciter fundit? Et si verò in criminibus intentio delinquentis sit observanda, arg. l. falsus, 43. §. qui alienum, 4. ff. de furt. ut ille, qui e. g. in cistâ furandi animo effractâ, literas proditoris Reip. invenit, nihilominus puniendus sit, cum
non

non abstulerit ut Reip. consuleret, sed ut furandi animum impleret, non autem puniatur, quando animus ad utilitatem Reip. fuit intentus: hinc *Gnaeus Flavius* actionum in formam repositarum librum Appio Claudio surripens, non poenam, sed dignitatem, & Tribuni plebis, & Senatoris, & Aedilis Curulis consequebatur, *l. 2. §. postea cum, 7. ff. de O. J.* Et ita præterò forsan esset decisio ad propositam controversiam, scil. eum, qui transcendendo muros, feliciter hostes fuderit, poenam non mereri. At interjicit se & aliud suadet *disciplina militaris*, quæ legum transgressoribus nullam facile veniam concedit, etiamsi bonum delinquentis propositum fuerit, eiq; eventus felix responderit; quamvis enim semel vel iterum conatus felices fortiantur effectus, ut plurimum tamen inferunt Reip. militari incommoda & periculum: & hanc nostram assertionem juvat *l. desertorem, 3. §. in bello, 15. ff. de re milit.* Juvant & *historiarum* monumenta; Posthumius & Manlius præstantissimorum filiorum, qui contra Jmpp. Patrum præcepta pugnabant, hostemq; superabant, mortibus ostendere voluerunt, conatus & eventus bonos etiam poenam mereri, vid. *Val. Max. lib. II. cap. 2. Liv. lib. VIII. dec. 1.* Præclarum erat factum Fabii, equitum magistri Papirii Dictatoris, qui viginti millia hostium centum civibus tantum amissis internecioni dedit; sed quia vetante Dictatore hostem invaserat, capitis postulatus est, nec aliter quam Dictatore placato populi precibus, supplicium evasit. *Bodin. III. de Rep. 2. add. Bocerus de jure pugnae lib. I. cap. 13.*

XXXII. Satis de hac quæstione: Cui subnectere lubet, aliam rationem à *Justiniano*, muros nimirum sanctos esse ideo quia poena capitis constituta in eos, qui aliquid in muros deliquerunt, *§. sancta, 10. J. de rer. divis.* aliam à *Plutarcha* consignatam esse, hanc scil. quod pro muris pugnare alacrius, mortem etiam optetere cives sustineant, *Dn. Limnaus lib. VII. Jur. publ. J. R. G. C. I. n. 24.* Portas autem pro sanctis non habuit *Plutarchus*, cum per eas & alia necessaria, & cadavera etiam efferantur. Itaq; urbem qui de novo condebant, aratro, cui bovem, marem & foeminam subjunxissent, locum quantum erat murus occupaturus designabant, portarumq; dimensa spatia vomere exempto, aratrum earum locis intactis, transferrebant, quod omnem terram aratam sacram & inviolabilem censerent futuram. Nos verò opinioni *Plutarchi* ob expressum text. in *d. §. 10. J. de rer. divis.* non subscribimus; *Celeberrimus* autem *Giphan.* ad *d. §. 10. Plutarchi opinionem de jure Pontificio ex Augurum ceremoniis* verum esse pronunciat, quo portæ non sunt sanctæ. Quale jus Pontificium pluribus explicat *Franciscus Connanus lib. II. Comment. Jur. Civ. cap. I. n. 6.*

XXXIII. Legum deniq; eam partem, quæ sanctionem, quâ adversus earundem violatores poena constituta est, includit, sanctam dicimus *specialiter*: alioquin nihil non sanctum esset, cum omnes ab injuriâ beneficio Legum tuti sint, *Dn. Frantz. ad d. §. 10. n. 1.* Specialiter igitur in certis legibus poena continetur in eum, qui contra legem fecerit, *l. sanctio, 41. ff. de pænis.* Unde sacrilegium dicitur contemptus & violatio Constitutionum Principum, *l. qui divina, 1. C. de crim. sacrileg. l. si quis indebitum, 1. C. ut dignit. ordo serv. l. lege repetita, 13. C. de erog. milit. annona, l. fin. C. de privil. eorum, qui in sacro pal. mil.* Cui accenset *Vult. in Jurispr. Rom. lib. I. cap. 46.* disputationem de potestate Principis, *l. disputare, 3. C. de crim. sacrilegii,* item an judex sit idoneus, quem Princeps elegit, *d. l. §. sacrilegii, 5. C. de divers. rescriptis.*

DEO TRIUNI SIT LAUS ET GLORIA IN EA SECULA,
Quorum nullus est FINI





ULB Halle


3


005 129 192



VD 77







B.I.G.

Farbkarte #13

IN NOMINE SACRO-SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS
DISPUTATIONEM INAUGURALEM
DE
REBUS CENSURA
NULLIUS

AUCTORITATE ET DECRETO
MAGNIFICI ET NOBILISSIMI ICTORUM ORDINIS
IN INCLUTA UNIVERSITATE ALTDORFINA
PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBUS

RITE CONSEQUENDIS
SOLENNI AC PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI SUBIICIT
JOHANNES GEORGIUS Schmid / NORIMB.
IN AUDITORIO WELSERIANO,
Horis consuetis,
DIE XIV. MAII
ANNI MDCLXIII.

ALTDORFII

KOENFRIED
UNIVERS.
ZVHALLE

1663 13
34

42

J. 129

